

/ Matthiae Romanorum Imperatori.

1879

Sacra Caesarea Majestas. Litteras Majestatis vestrae per Illustrem virum Ludovicum Ridolfi devotus accepi, Quod vero eadem Majestas vestra dignata sit mihi commendare negotia, quae praedicto Dominico Ludovico in Urbe apud Sanctam Apostolicam Sedem expedienda erunt, gratias ago; et omnia efficiam ut Majestas vestra semper agnoscat me nulli famulorum suorum in studio et diligentia obtemperandi cedere. Utinam detur occasio, eaque frequens, qua Majestati Vestrae devotionem meam probare possem. Interim pro incolumitate /0 augustae personae vestrae, et pro totius Imperii conservatione et prosperitate Domino Deo nostro preces offerre non desinam. Datum Romae die 2 Julii 1617.